



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Littera Chotvvicen. de decima vinearum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

scriptione testium communimus, confirmamus. Testes autem sunt hi: *Hermannus* Abbas de *Altach*, *Albertus* Abbas de *Metemen*, *Heinr.* Præpositus veteris *Capella Ratisbon.* Canonicus noster *Rudlibus*, Præpositus in *Rinichna*, *Werinhardus* de *Vttendorf*, *Purchkardus* de *Weier*, *Ludovicus* de *Hagenauve*, *Wolfgangus* Pincerna noster de *Reut*, *Gebhardus* de *Veltbach*, *Albertus* de *Gneising*, *Chunr. Zrvikauf*, & alij quam plures. Datum anno Domini M. C. C. XLIX. Indictione VII. mense Martij, Pontificatus nostri anno quarto.

Littera *Chotuvicen.* de decima vinearum.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis amen. *Heinr.* Dei gratia *Chotuvicens*, hanc litteram inspecturis, salutem in perpetuum. Discretorum virorum providentia ea quæ ipsos aguntur in tempore, ne per obliuionem humanam à memoria simul labantur cum tempore scriptis prouidit, ac proborum virorum testimonio confirmare, quorum nos vestigia obseruantes omnibus innotescimus hanc litteram inspecturis, quod venerabilis Præpositus & Conuentus de *Osterhoben* prædecessorum nostrorum temporibus vtriusque Ecclesiæ considerata utilitate curiam suam apud *Chrems* cum omnibus attinentiis vineis & agris à decimis nobis inde prouenire taliter exemerunt quod villa quæ superior dicitur *Vuthauv* nostræ Ecclesiæ contulerunt in recompensationem prædictarum decimarum perpetuo possidendam, ita tamen vt dimidia carra vini nobis de prælibata curia annis singulis persoluatur, nosque ipsis in æquipollentia curiam villicariam addidimus apud *Teizz* liberaliter possidendam. Ne autem super his prætextu alicuius venditionis seu obligationis nostrarum decimarum prædictæ Curia de *Osterhoben* super libertate suæ emptionis calumnia seu questio ammodo oriatur, sed hic tractatus à nostris prædecessoribus solemniter factus perpetuo robur obtineat firmitatis ipsum tenore & auctoritate præsentium renouamus ac perhenniter confirmamus sigilli nostri atque Conuentus characterem apponentes. Testibus etiam qui huic publicationi & renouationi intererant subnotatis, qui sunt *Irnfridus* Decanus *Chrems.* *Hertnidus* Sac. *Albero Winceler* *Chunr.* Sac. de *Prusing.* *Perchtoldus Trauernius*, *Meinhardus* de *Lapide*, *Chunr. Seuelder*, *Ratispon.* Senior. *Haystolfus Grossus*, *Otto* filius *Haistolfi*, *Hecunbo*, *Meinhardus* de *Camera*, *Waltherus Moderstoch* & alij quam plures. Actum in *Stayn*, anno Domini M. C. C. LI. Indictionis decimæ.

Item de Muta & Thelon. per terram

Austria.

O*Takrus* Dei gratia Dux *Austria* & *Styria* & Marchio *Moravia*, vniuersis litteram hanc inspecturis salutem in perpetuum. Cum Ecclesia in *Osterhoben* à bonæ memoriæ Duce *Leupoldo* atauo Illustri quondam Ducis *Austria* *Friederici* occasione quondam obsidionis Castri in *Ortenburch* læsa fuerit plurimum & grauata, in recompensationem eiusdem damni eidem ecclesiæ felicis recordationis principes memorati pia deuotione duxerint injungendum, vt omnia victualia sua vbique apud thelonea sua siue mutas suas absque vectigali & eo quod vulgariet *Jurfart* appellatur gaudere debeant libero transitu & securo. Nos in eorundem principum inhærere vestigiis id ipsum jus pro Dei omnipotentis reuerentia memoratæ Ecclesiæ liberaliter ducimus concedendum. Vt autem hæc concessionis nostræ gratia debeat inuiolabiliter obseruari, præsens scriptum sigilli nostri caractere roboratum sæpessatæ Ecclesiæ mandauimus as-